



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Admonitio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

ADMONITIO AD LECTOREM.

NE existimes, benevole Lector, quòd dum, sive in hoc tertio, sive in duobus prioribus Tomis, acrius impugnare videor nonnullas Juniorum opiniones, seu earum Defensores, id à me fieri ex amaro in eos animo, quin potius ex ardenti pro veritate, animarumque salute pugnandi zelo. Vidi etenim, non sine magno animi mei merore, ab aliquam-multis controversias morales, sub humanitatis cujusdam lenocinio, ita plerumque desiniri, ut non tam veritati, salutarique instructioni, quàm personarum gratiæ, propriæque famæ & laudi, seu populari plausui, ancillari videantur. Vidi ab ipsâ non solum tradi opinantia, quæ ob nimiam laxitatem, reverà videntur non ferenda, sed & ab ipsis palàm carpi sanctam, & ab Ecclesia probatam severitatem, à Patribus antiquis, & Sanctis novissimis traditam. Vidi traditionis ipsius Defensores ab ipsis palàm traduci velut Novatores, Bajanos, Jansenistas, Rigoristas; dogmataque ex visceribus Vetustatis fideliter excerpta, omni conviciorum, contumeliarumque genere, contra S. D. N. Innocentii XI. formale in virtute sanctæ obedientiæ præceptum, nullâ sobriâ consideratione dilacerari. Vidi nonnullos ex ipsis, agnoscentes quidem, quòd quatuor Sanctorum novissimorum, Thomæ de Villanova, Caroli Borromæi, Francisci Xaverii, & Francisci Salesii Monita & Instructiones, doctrinæ & praxi ipsorum adversentur; sed iis opposites & præponentes turbam Casuistarum recentiorum, etiam postquam S. D. N. Innocentius XII. S. Caroli Instructiones Confessariis proposuit, velut AUREAM REGULAM assiduè præ manibus versandam, quâ perverfos populi Christiani mores facile sit ipsis restaurare.

Et ideo zelo zelatus pro animarum salute, sabinde quidem acrius refellendam censui novitiam doctrinam ipsorum, utpote alienam omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque doctrina, prout S. D. N. Alexander VII. declaravit, non intendendo tamen personas, sed opiniones liberiores acriter redarguere. Hoc est enim quod Tomo primo Prolegomeno primo n. 98. hisce verbis expressè declaravi: hæc quæ dixi, vel dicturus sum, adversus nimiam (ut plerisque sapientibus videtur) laxitatem, dixi, & dicturus sum, non ad taxandas personas, vel intentionem Authorem, quasi scopus illorum sit, Christianæ disciplinæ corrumpere sanctitatem. Absit enim ut id suspicer de doctissimis, integerrimis, religiosissimisque Viris; quorum propositum existimo non aliud fuisse, nisi opiniones suas ad hominum imbecillitatem attemperare, ne immoderata severitas imbecilles homines in majora mala, vel etiam in desperationem adigeret; ad quod præcavendum, visum est ipsis benignius cum hominibus agendum.... Sed ut laudanda est benigna intentio ipsorum; non pariter laudanda est præterfusa benignitas, utpote (sanctorum Cypriani, Chrysostomi, &c. judicio) vera crudelitas, benignitatis nomine palliata. Et rursus ibidem Libro XI. n. 665. dum contra nonnullorum è Societate.... opiniones, ut mihi videtur, laxiores, divinæ gloriæ, salutisque animarum zelo succensus scribo, sincerè protestor, me id non facere ex malevolo in Societatem animo (utpote quam amavi & veneratus sum ab incunabulis.... Religiosis Societatis in pueritia & adolescentia mea usus pro directione animæ meæ) sed ex gemino illo zelo, eoque animi habitu, quem in omnibus postulat Augustinus, cum ait: diligite homines, interficite errores. Sine superbia de veritate præsumite. Sine savitia pro veritate certate.

Propterea si quando verbum acrius, erroris, imperitiæ, falsitatis, seu aliud minus modestum è calamo minus advertenter, ac præter intentionem sortassis exciderit, pro non dicto haberi volo; sanctæque protestor cum Cajetano in præmio Commentariorum suorum in S. Thomam, quòd ubi defecero (ut homo, nihil humani à me alienum putans) Correctori gratias agam, præsertim S. R. Ecclesiæ, cujus judicio omnia docta & scripta mea lubens subijcio. Verba quoque erroris, falsitatis, ignorantia, & alia hujusmodi, non contra personas, sed contra opiniones, & hoc quatenus minus solidæ sunt, vel apparent, interpretanda esse volo, calorique disputationis tribuendum, siquid excidit minus reverenter dictum.

INDEX